

Sap. 11, 25. Fezech. 10, 23. Is 33, 11.
Nihil odisti eorum, quae fecisti. Neque enim
odians aliquid constituisti aut fecisti.

Nunquid voluntatis meae est mors impij?
Vivo ego, nolo mortem impij: sed ut conver-
tatur impius a via sua, et vivat.

Hinc contra Sacramentarios invicem sic argumenta-
mur. Deus nihil odit eorum, quae fecit. Ergo, ex
odio neminem mortaliu[m] damnationi ab aeterno de-
stinavit. Rursus. Damnatio impij aliena est
a voluntate Domini. Ergo, solo voluntatis
arbitrio, sive absoluto beneplacito, extra respec-
tum impietatis neminem exitio aeterno devo-
avit. Et memorabile est, quod a volente vo-
luntate sua alienam esse damnationem impio-
rum Deus attestatur. Sic enim habent ver-
ba Hebraea: Nunquid volens ego volui mor-
tem impij? Distinguit ergo inter voluntatem ab-
solutam sive simplicem, et mixtam sive ordinatam.
Voluntate absoluta diserte negat Deus, se velle

cujusq[ue]

